



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Punct. Dif. 4. Continuatur solutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

fit, ut non sit identice vera hæc propositio; humanitas est homo. Quanquam etiam in Divinis non ubique pro eodem DEUS & Deitas sumitur. Hinc verè dicitur DEUS generat, & tamen falsum est Deitatem generare.

INSTAT II. IDEM. Quod non possit intelligi quomodo natura humana dependeat à Verbo, per solam additionem unionis hypostaticæ.

RESPONDETUR. Sicut in quacunque sententia explicabitur hæc dependentia, ita & in præsentii idem dicitur, illa enim unio trahet se cum personalitatem Verbi, virtualiter distinctam à natura Divina. Addi in hac materia solet, quod totalitas & integritas dupliciter & amitti & acquiri possit: potest amitti totalitas additione, ut sit dum una gutta additur alteri, potest etiam amitti deperditione, ut totalitas decadis deperditione v. g. unitatis, priori modo amittitur persona humana.

OBJICITUR IV. Quando aliqua sunt idem realiter, si unum illorum assumatur necessariò debet assumi & aliud, sed substantia & natura sunt idem realiter. Ergo si natura assumatur, & Persona assumetur.

RESPONDETUR. Conformiter ad dicta de relatione: distinguo minorem. Sed substantia & natura sunt idem realiter in circumstantiis in quibus natura habet rationem totius, compleri, perfecti &c. conced. extra has circumstantias neg. In idem recidit si dicas, substantiam secundum id quod dicit pro subiecto & in recto esse idem cum natura, indubiè; subiectum substantiæ humanæ assumptum est, sed secundum id quod dicit in obliquo, non est idem cum natura, connotat enim & imbibit in se rationem totius, quam non imbibit natura.

INSTAT I POTEST I. Hoc quod pro obliquo dicit ratio totius, connotata à Persona, illamque in esse formali constitutens, est ne distinctum realiter à natura, vel per rationem? si realiter, habetur intentum, quia hoc erit entitas illa superaddita Personæ, si formaliter, ergò receditur à principiis aliis datis, si per rationem, ergò nemine cogitante etiam illud obliquum, & illud formale Personæ, erit assumptum.

RESPONDETUR. Illud obliquum cum sit connotativum ex duobus coalescit nempe ex subiecto & illo quod connotat: Prius illud non est distinctum realiter à natura, posterius autè non est quidè distinctum realiter simpliciter ratione entitatis, sed distinctum realiter ratione connotati. Neque enim ex opere intellectus, vel importatur à natura ratio totius, vel non importatur.

INSTAT II. Hoc quod est dicere aliquid in recto & hoc quod est dicere in obliquo non est nisi opus intellectus, quid enim rectum, quid obliquum nemine cogitante? ergò ostendere distinctionem naturæ à Persona ratione recti & obliqui non est ostendere distinctionem nemine cogitante.

RESPONDETUR. In hoc quod est rectum & obliquum duo reperiuntur. Ipsum dicere in recto & in obliquo, hocque non est nemine cogitante. Deinde est obiectum illius recti & obliqui, & hoc est nemine cogitante, & ita ratio totius, quæ in obliquo importatur, habetur nemine cogitante estque sufficienter distinctiva nemine cogitante.

Punctum Difficultatis 4.

Continuatur Solutio

OBJICITUR V. Ex doctrina hac sequitur duas esse in Christo Personas quoad entitatem, licet non sint duæ, quoad esse formale Personæ, erit quidem Persona Divina & quoad entitatem, & quoad esse formale. Persona autem humana, non est quidem in Christo quoad esse formale, quia natura humana in Christo non habet rationem totius, erit tamen in Christo persona humana quoad entitatem. Quod ipsum probatur. Entitativè Persona humana, est ipsa natura humana. Tum quia actus DEI liber est idem quoad entitatem ab æterno cum cum actu necessario v. g. actus condonationis cum amore possibilem licet non sit formaliter ab æterno, sed nonnisi posito requisito dolore v. g. Tum quia etiam relatio pereunte termino dicitur manere quoad entitatem, quod si dicas esse in Christo Personam humanam quoad entitatem videberis concedere Nestorio, quod intendebat, qui certè ad istas formalitates Scholasticas non attendebat.

RESPONDETUR. Hanc objectionem pendere ab explicatione connotatorum & relationis, dixi autem alias, falsam esse hanc propositionem, ablato termino manere relationem quoad entitatem, sed manere secundum id quod dicebat pro subiecto, quod etiam in præsentii repeti debet, quod scilicet in Christo sit subiectum Personæ humanæ, sicut duabus guttis unitis, manet subiectum, quod habebat rationem totius, sublatis item terminis lineæ, additione quantitatis manet subiectum terminorum, sic etiam in præsentii. Videantur dicta de connotatis & relatione. Quorum omnium hæc ulterius ratio est, quia ea quæ duo ad sui esse requirunt, si unum absit, hoc ipso illa non sunt duo, nec habetur id, quod natum est pullulare ex illis duobus. Quia autem ratio Personæ pullulat ex duobus, ex natura, & ex habere rationem totius, cum hoc secundum desit naturæ humanæ in Christo, fit ut in illo non habeatur ratio Personæ humanæ.

INSTATIS. Formale Personæ humanæ & prout distinguitur à natura, & quod supplet Persona Divina, vel est aliquid in se substantiale vel non? si prout condistinctum à natura est aliquid substantiale, ergò prout condistinctum à natura, est aliquid entitativum adeoque entitas. Quod si illud quod formaliter supplet Persona Divina non est aliquid substantiale, Ergò unio inter

inter Naturam & Personam Verbi non est substantialis, in tantum n. unio illa est substantialis, in quantum id quod supplet, est substantiale.

RESPONDETUR. Falli imaginationem instantiæ, speculatur enim suppletionem quandam propriè dictam, quæ ratione unus Magister supplet locum alius, quæ suppletio rigorosa, non habet in præsentio locum, quia suppletio rigorosa requirit præcedentiam actualem illius, cuius vices suppletur, & requirit entitatem, in cuius locum succedat, sic primogenitus non dicitur, supplet locum alius filii, qui potuisset nasci, sicut & converso moraliter loquendo secundo genitus dicitur supplet locum primogeniti, si forte ille moriatur, cum ergo Persona creata non præcesserit increata, supplet locum illius rigorosè non debet dici. Alia est suppletio non rigorosa, sed latius sumpta, sic v.g. negationem ulterioris extensionis quam dicere potuisset femiulna, si cum ulna continuata non fuisset, supplet negatio ulterioris extensionis, quam dicit ulna, suppletio item totalitatis illius, quam una gutta habuisset, si cum altera gutta conjuncta non fuisset, suppletur per totalitatem, ex unione duarum guttarum resultantem, prior illa requirit distinctionem inter se entitativam; Posterior suppletio, non requirit. Cum ergo posterioris generis suppletio, reperitur in unione hypostatica, non erit necesse ipsam Personam quæ suppletur, ipsamque illam rationem totalitatis nature humanæ, quæ deest, est in se entitatem condistinctam. Ex quo etiam colliges, esse quidem consumptam Personam humanam à Persona Verbi, sed non consumptione propria, qualis reperitur, dum lignum ab igne consumitur, & quæ consumptio requirit distinctionem entitativam, sed consumpta est consumptione impropria, qualiter consumitur ratio totius unius guttæ ab alia gutta, cui unitur. Ulteriusque inferes, quid sit ad hoc dicendum, dum quaritur; habetne aliquid minus natura humana unita verbo, quam habuisset, si non fuisset unita? Dico enim non habere aliquid minus propriè, quam istud proprium minus habere requirit distinctionem entitativam, haberetamen aliquid minus improprie, ut deest uni guttæ ratio totius, posita unione ad aliam guttam. Esse autem hanc responsionem ad mentem PP. colligitur ex Hugone de S. Victore in Apolog. de Verbi Incarnat. *Sicut in nocte lucerna est lumen Ecclesie; accedente autem Sole lumen Ecclesie est Sol, sic accessu Personæ Divinæ ratio totius à Persona confertur.* Et tamen indubiè, nec suppletur, nec minoratur Lumen candelæ accessu luminis solaris.

OBJICITUR VI. Variæ instantiæ & paritatis ex Suar. & aliis.

PRIMA PARITAS est. Non potest aliquid esse in loco, per ubi indistinctum entitativè, ergo nec subsistens per substantiam indistinctam entitativè.

RESPONDETUR. Antecedens esse falsum in nostris principiis. Disparitas etiam est, quia scilicet supponitur à non esse in loco, ad esse in loco, sufficienter transiri non posse, sine aliquo superaddito, potest autem per rationem habendi se per modum totius, sufficienter transiri, à non esse subsistentis ad esse subsistentis.

II. PARITAS. Impossibile est corpus, quod sit sua figura. Ergo.

RESPONDETUR. Impossibile esse corpus substantiale, quod sit sua figura, retenta ratione accidentis, esset enim substantia ut supponitur & non esset, quia idem esset cum accidenti. Sed non implicat corpus seipso extensum sicut tenuit Arriaga. Disparitas etiam est in nostris principiis. Quia corpus substantiale esse sibi figuræ, est substantiæ identificari accidentis, quod non sequitur, si substantia non distinguatur entitativè à Natura.

III. PARITAS. Implicat effectum per actionem indistinctam produci.

RESPONDETUR. Falsum esse antecedens universaliter: Verbum enim mentis non producit per actionem distinctam. Cur autem alii effectus non possint produci nisi distincta saltem secundum connotatum actione, petatur ex alibi dictis. Disparitas autem eadem redditur, quæ primæ paritati, mutatis terminis.

IV. PARITAS. Implicat qualitas gradus intensiois identificans sibi. Ergo.

RESPONDETUR. Intensio ejusdem speciei cum nostrate, implicat nisi per gradus distinctos, quia definitur per additionem gradus ad gradum, non definitur autem per esse condistinctum substantia, alia tamen specie intensio, potest esse, sine graduum distinctione.

V. PARITAS. Implicat substantia, operans, actione à se indistincta. Ergo.

RESPONDETUR. Anima producit Verbum actione à se indistincta. Quod si procedat de operationibus quibuscunque indistinctis, recurri debet vel ad transitu à non esse operantis ad esse operantis, qui non potest salvari sine actione distincta; transitus autem à non esse subsistentis ad esse subsistentis, sine superaddita Entitate, operationes allatas haberi potest, vel recurri debet ad hoc quod si daretur substantia operans actione à se indistincta, tunc substantia illa in genere agendi esset actus purus, cum tamen hoc prædicatum sit convertibile cum Deitate, hoc autem non sequitur, si habeat substantiam indistinctam entitativè humana Natura.

VI. PARITAS. Amici Disp. I. de Incarn. Sect. 2. ubi dicit, inhaerentia quæ est positivum complementum accidentis, distinguitur modaliter. Ergo & substantia.

RESPOND. Si nomine inhaerentiæ unio actualis accidentis, cum subiecto intelligatur, verum est Antecedens, sed non tenet consequentia, quia à non esse uniti ad esse uniti, non potest transiri sine mutatione, quæ sit aliquid superadditum

†Q

ditum

dictum entitativè, à non esse autem subsistentis ad esse subsistentis, sufficienter transitur, solà importatione totius. Si autem nomine inhærentiæ intelligatur inhærentia aptitudinalis & constitutiva accidentis, quæ reperitur etiam in quantitate Eucharistica, hæc non est superaddita, unde per nos argumentatio exinde sumitur ad non superaddendam subsistentiam. Si enim inhærentia innexa Accidenti, non est quid superadditum, entitativè, nec subsistentia erit superaddita entitativè.

VII. PARITAS. Persona increata consistit in aliquo positivo superaddito naturæ, ergo & creata, cum personalitates creatæ, sint imitationes increatarum.

RESPONDETUR. Hoc argumentum est pro nobis, quia sicut personalitates increatæ, sunt quidem quid positivum, non tamen entitativè superadditum, sic nec nostræ erunt. Quod autem non sint nostræ subsistentiæ virtualiter intrinsece distinctæ, peti debet ex eo: quia non datur virtualis distinctio in creatis. Aliàs etiam idem argumentum non concludit, quia ex præciso titulo imitationis entis increati, nihil determinatè concludi potest. Ratio, quia illa imitatio stabit in solà participatione perfectionum divinarum, suo modo, quæ participatio cum non sit determinata, & aliter aliterque haberi possit, nihil ex ea inferitur. Et certè non implicabit contradictionem personalitas creata participans de increata, sed secluso prædicato ratitudinis, sic enim imitabitur Divinam in formalitate inseparabilitatis saltem ad permanentiam; cum subsistentia Divina gaudeat inseparabilitate omnimoda, & sicut res ipsæ sunt imitationes Deitatis, itemque modalitates & similia; ita salva imitatione, potest esse etiam subsistentia modalitas. Posset etiam dari subsistentia creata, imitans divinam in Ratitudine; Subsistentiæ enim divinæ distinguuntur inter se realiter: En jam secundam imitationem subsistentiæ divinæ. Erit autem tertia imitatio, si ponamus indistinctam entitativè à naturā, cum etiam personæ divinæ sint eadem, cum natura divina realitas. Idem alia instantia illustrari potest. Noscitivitas creata est participatio noscivitatis increatæ, neque tamen inde determinatè inferri potest, quod sit noscitivitas non nisi spiritalis & intellectualis, cum noscitivitas etiam sensitiva, suo modo sit imitatio noscivitatis Divinæ. Ergo nec ex imitatione subsistentiæ divinæ, inferri determinatè potest, quod illam non nisi rata subsistentia imitetur, cum adhuc etiam modalis illam imitaretur, imitaturque indistincta entitativè.

OBJICIT VII. Amicus. Implicat formam quæ est eadem cum subiecto, non conferre illi suum effectum formalem, sed in nostra sententia creata personalitas est idem cum natura. Ergo.

RESPONDETUR. Inprimis retorquendo argumentum de continuatione duarum guttarum. In forma itidem jam supra respondi, Personam & Naturam in circumstantiis, in quibus dicitationem totius, esse idem cum Persona, tribuereque hunc suum effectum formalem; non esse tamen idem extra has circumstantias, consequenter nec extra illas, tribuere hunc effectum formalem.

INSTAT IDEM. In nostra sententia non potest salvari, quomodo B. Virgo genuerit DEUM, quod ipsum probat, quia in nostra sententia prius natura genuit humanitatem, quam fuerit unita Verbo; Ergo non potuit in illo priori gignere DEUM, quod ipsum probat. Quia in eo signo, humanitas fuit unita Verbo; in quo apta erat personari propriā personalitate, sed non fuit in nostra sententia apta personari propriā personalitate, nisi post naturalem unionem partium inter se, atque adeo post causalitatem, qua humanitas fuit à beatā Virgine genita, cum tamen in sententiis aliis prius natura fuerit unio cum Verbo, quam partium inter se.

RESPONDETUR. Generationem non secundum prioritatem naturæ & rationis spectandam esse, sed secundum physicum esse, sicut & ipsa est quid physicum, independens à nostris conceptibus. Unde sufficit, quod pro eodem instanti reali, pro quo partes humanitatis uniebantur, terminaretur jam illa humanitas Verbo, pro illo instanti physico, ratione cuius, pro illo instanti physico, verum erat dicere: terminari humanitatem, Verbo, adeoque hoc quod generatur, terminatum est à Verbo, adeoque DEUM generari. Imò in nostra sententiā melius salvatur, quomodo DEUM genuerit; siquidem in ipso instanti unionis, quo generabat, illud genitum fiebat DEUS, non verò supponebatur DEUS. Ad do dubitare Attia an prius unita fuerit persona Verbi animæ. Corpori quam fuerint unita inter se, quod si, factum est, dicit DEUM invertisse in hoc naturæ ordinem, præcipuè cum ad Personam Verbi tam non habuerint proportionem illæ unitæ partes quam non unitæ, quamvis quia verbum voluit utramque partem etiam in triduo mortis terminare, idè immediate utramque terminavit. Sed de hoc recensè dicta in Materia de Incarn.

OBJICITUR VIII. Supponamus, Positam esse unionem Verbi v. g. cum sola anima, & non cum corpore, informato ab illa anima, eo casu subsisteret anima duplici subsistentia, nempe verbi cui unitur, & subsistentia totius compositi creata. Si enim non subsisteret subsistentia totius quod componit, ergo neque corpus habebit tunc ullam subsistentiam.

RESPONDETUR. Cum per nos subsistentia sit ipsa natura habens rationem totius, eo casu anima non terminabitur persona creata, quia totum illud quod constituit anima cum corpore

pore non habebit rationem totius, quia ad hoc ut habeat rationem totius, nulla sui parte debet uniri alteri, quod ipsum probatur, quia cum totum non aliud sit nisi ipsae partes, si aliqua sui pars non sit in se, sed in alio, hoc ipso totum illud ratione partis alteri unitae, non habebit rationem totius, consequenter nec rationem personae.

Punctum Difficultatis 5.

Respondetur ad rationes Recentiorum.

OBJICITUR I. à Martinon auctoritas S. Th. quia S. Th. i. parte q. 75. ar. 2. docet, animam rationalem dum est in corpore, subsistere, & tamen est tunc pars.

RESPONDETUR. Per auctoritatem ipsius S. Th. ead. quæst. & 4. ad 2. ubi dicit, non quilibet substantia particularis est hypostasis vel persona, sed quæ habet completam naturam speciei. Unde manus vel pes non potest dici hypostasis vel Persona & similiter nec anima, cum sit pars speciei humanæ. Loco autem quem Martinon citat, non aliud vult, quam quod subsistat substantia totius, quod nos admittimus, seu sit pars subsistentis.

OBJICITUR II. Quia hæc sententia non plus dicit quam Scotistica, quia deperditio totalitatis, non est deperditio alicujus positivi, sed tantum negativi, quia esse totum dicit habere omnia, & nihil amplius habere quorum primum, remanet in humanitate.

RESPONDETUR. Distingui nostram sententiam à Scotistica, quia non recurrimus ad duplicem negationem, quia negationem unionis dicimus esse, quid posterius ipsa ratione totius, adeoque hanc negationem infundari illi positivo, & licet deperditio totalitatis, non sit deperditio alicujus positivi, h. e. positivè, entitativè distincti, est tamen deperditio alicujus positivi, h. e. ejus connotati, quod non primo per se dicit negationem, dicitque illud Nihil amplius habere, tanquam rationem subsequenter & infundatam negationem subsequenter & infundatam negationem illi positivo, quod est habere rationem totius, quæ secundum objectivum esse, est aliquid positivum, & sequentium negationum fundamentum, licet tanquam per aliquod notius, per illas negationes explicetur.

OBJICITUR III. Quia in nostris principiis sequitur in Christo, non esse Personam Divinam. Quia in Christo Verbum non est totum id, quod est Christus, item manifestum est, quid quid componit aliquid cum altero per modum entitatis realiter ab illo distinctæ, esse partem compositi. Jam autem à PP. dicitur componere Verbum cum humanitate Christum.

RESPONDETUR. Verum quidem est Ver-

bum non esse totum id quod est Christus, sed nego ratione VERBI non haberi rationem totius in Christo, adeoque personæ; quas duas propositiones esse distinguendas alibi diximus. Et quamvis intercedat unio seu compositio, inter humanitatem & Verbum; non sequitur esse Verbum partem, ut dictum supra, sed ad salvandam formalitatem compositionis, sequitur non nisi unum esse partem & aliud terminum, quod si non habet rationem partis, hoc ipso non amittit rationem personæ. Quando autem PP. dicunt, quod Verbum cum humanitate componat Christum; non volunt significare ut supra dictum, quod Verbum habeat rationem partis; sed solum sentiunt intervenire illic unionem, quæ non est necesse, ut sit inter partes & partes formaliter; sed potest esse inter partem & terminum.

OBJICITUR IV. Ex vi hujus explanationis, sequitur in Deo non esse tres Personas, sed unam, nam essentia Divina est infinita simpliciter, nec fit perfectior additione proprietatum personalium; nam infinitum in perfectione accessu cujusque perfectionis, non crescit. Et sicut Filius & Spiritus S. non sunt quid perfectius quam Pater, ita nec illorum proprietates ut docet Th. i. par. q. 42. ar. 4. ad 3. ergo illæ perfectiones nihil addunt perfectionis essentiae, ergo essentia est tota, & retinet suam totalitatem, non obstante adventu proprietatum; præcipue verò, quia nos supponimus, Personam Verbi non esse partem, quia non acquisivit perfectionem in Christo.

RESPONDETUR. Negando Sequelam. Et licet essentia Divina sit infinita simpliciter in perfectionibus absolutis; se ipsa tamen, non habet perfectiones relativas, illarumque accessu non perficitur in ratione absoluta, perficitur in relativis. Per hoc tamen non crescit propriè; quia incrementum fit ratione ejus additæ perfectionis, quæ eminenter non continetur; Continentur autem eminenter, perfectiones relativæ in essentia, quæ ex sui fecunditate, communicabilis est interventu processionum. Et licet Divina essentia sit se ipsa tota, retinetque suam totalitatem se ipsa, tamen non habet rationem totius, cum dicat adhuc rationem terminabilis ab originibus, adeoque nec dicit se ipsa rationem subsistentis, cumque sit terminabilis à tribus subsistentiis, iisque de facto terminetur; sit ut non sit una, sed tres personæ, quia sunt tres, habentes rationem totius. Et licet natura Divina, comparata ad subsistentiam Patris v. g. non habeat rationem partis, hoc enim imperfectionem importat, nihilominus licet sit tota, non habet rationem totius, quia habet rationem ulterius communicabilis tribus personis.

OBJICITUR V. In Divinis nomina concreta substantiva non multiplicantur, nec esseruntur in numero plurali, nisi multiplicetur

† Q 2

forma